EQVITIS POL

Prophetia S. Hyldegardis Brouij T. XV.
Fol. 465.

Saluatores nominantur. ab Equite. fol. 4.

1626

Joannis Broscii Curzelomensis
Medicinae Doctoris ordinarii
Astrologi. post mortem ipsius
Bibliothecae maioris Collegii in
Academia Cracouiensi. rogat
autem vt omnia quae hic inser
ta sunt, integre ad posteritatem
conseruentur aliogui vnitatem hanc

Destruenti anathema
Conseruanti benedictio.

…O.

intellectus
iudicat
veritatem

IX. 10. 1.

Contactus. ad punctum

Vulgaris hic oculus caligabit diffidetque plurimum.
Procul este prophani.

inter 9 et 10 reponitur Proca Dawidowa Zahrzeuii Calissii impressa ubi locus non exprimatur, scriptum maledicum ab ipsis Jesuitis consuetum sub nomine Zahrzeuii esse consentiente evulgatum. omnia enim quae in illo continentur ego audivi ex ore Friderici Schenkel Jesuitae, audiverunt et alii. Zahrzeuius vero numquam Cracoviae studuit usque Bursarum consuetudines nullo modo scire potuit alio, quam ex relatione Jesuitarum tragoediam istam adornantium.

Contenta in hoc volumine

1 Equitis Poloni actio in Jesuitas prima
2 Spongia contra Equitem Rasa
3 Actio Arnaldi in Parlamento Parisiensi
4 Praeparatio de videntes
5 Ad Pauli quinti per Republica Veneta Oratio
6 Gravis deliberatio de compescenda audacia contra Jesuitas
7 Odpowiedz na Artykuł przeciwko Jesuitom Mrugi Suera
8 Responsio ad reprotestationem Jesuitarum
9 De Ignatio Loiolae Zahrzeuii Calissiensis
Proca Dawidowa Zahrzewskiego
10 Obiatowanie przeciwko Jesuitom Stachora polskiego
11 Tarcza obrony przeciwko prowy
12 Vindiciae adversus Zahrzewski
13 Confutatio consilii Zahrzewski
14 Examinatio Borossii stylo durissimo
15 Gratis, Przypadkowy, Consens.
16 Epistola cuiusdam ad quendam.
17 Ad Senatores Regni Poloniae Scripta Jesuitarum
18 Widok Statystyczny Jezuickie S. Xawerego obraz.
Dissimenta cavenda
Consuementa benedictio.

Ioan. Mariana Hispanus de spectac. libro uno

Antiquis temporibus qui ex Monachis Episcopi ac summi Pontifices exstiterint numerare vix licet, nostra aetate vix unus aut alterum eorum non tam vitae integritate quam malis artibus ambitiosis successores esse perspectos consideravimus. Vide totum illud caput.

AD SENATORES REGNI POLONIAE.

Scriptum Silesiacum.

1620.

Qui perdere sat est.

Longius aut propius mors sua quemque manet.

FAcit horum temporum ſive infelicitas, ſive etiam iniquitas, ut earum cauſa injuriarum, â quibus Noſtrates, quæ inter utriusq; noſtrum Majores, felicioris ideò recordationis, icta ſunt publicæ tranquillitatis fœdera, plurimis retrò annis, tanquam cautiſſimum ex omni Cautione vadimoniũ ſecuros omninò tutosq́; præſtiterunt; querelas apud Reverendiſſimas, Illuſtriſſimas & Magnificentiſſimas D D. veſtras, tanquam in ſinum earum deponere, graviſſimas, extrema nobis neceſſitas imponatur. Quanquam utrum temporum injuria nos premat, numverò pactorum & tàm ſanctæ obligationis fides vadimonium potius deſeruiſſe videatur, ferè ambigendum venit. Etenim anile admodum eſt, & frivolum, in ſeculum conjicere omnia, & in tempus. Neque temporis ſolâ providentiâ regitur hic mundus, & firmatur hominum, quæ eſt, Societas, ſed dictorum potius, quæ illos intercedit, factorumq́; conſtantiâ & veritate. Reliquum igitur eſt, ut in omni, quod ad

injuriam quoquo modo pertineat, negotio sanctissimæ fidei officium, ubiq́;, nec minus perpetuò, requiramus. Extant inter inclyta Poloniæ, juxta ac Bohemiæ Regna Vetustissimæ Conventiones, eæq́; mutuæ & reciprocæ, quæ vulgus Compactatorum nomine indigitat, quæ non cæcus quidam affectus & præceps, etsi inter gentes origine, lingvâ, institutisq́; arctissimâ cognatas, expressit, sed usus utriusq́; gentis ipsaq́; necessitas, ut cætera omnium gentium jura constituit, & stabilivit. Hæc, si non violata, si non rupta, at certê plurimum labefactata conquerimur, non quidem primum privatis illis inter confines injuriis, quæ uti hinc inde ex utraq́; parte facilè enasci, ita haud majore difficultate ex præscripto compactatorum consopiri & possunt & debent, sed publicis, & quæ statum totius Regni Bohemiæ nostrumq́; & reliquarum nobis confœderatarum regionum, non minus hactenus affecerunt, quàm publicè omnibus constat, quam virulentis & ad omnes bonos odiosis publicarum Invectivarum criminationibus, amplissimi earum Ordines in Regno Poloniæ proscindantur, quantis præjudiciis causâ eorum, super ea, quæ in Regno accidit mutatione, & si â non judice, obruatur, quibus subsidiis pars adversa fulciatur, quibus

non

non dicemus minis ſubinde petamur, ſed hoſtilibus atrociſſimorum latronum irruptionibus, ſed rapinis, ſed cædibus, ferro deniq; flammâq; iterata jam vice è Polonia infeſtemur. Quæ omnia tantò acerbius nobis acciderunt, quò magis ex Juris atq; juſtitiæ prætextu & colore ex ipſa compactatorum formula quæſito vulgò obteguntur & nobis tanquam bardis & brutis hoc perſvaſionis magno conatu ingeritur, licere iſta ſalvis pactis facere, reſpicere illa pacta non tantum Regni Bohemiæ Provincias, ſed potiſſimum & Regem: Ei, utpote legitimo Magiſtratui eas rebellare, Catholicam Religionem impugnare; quos pro ſui ſtatus ratione condiderunt & juris jurandi religione ſanxerunt confæderationis Articulos, impios eſſe, iniquos, Sacrilegos, vim iis inferri Eccleſiis, & in his Wratislavienſi; Regem Cæſarianis militem in Polonia conſcribendi copiam facere ex pactis teneri indeq; de factis in Sileſiam Moraviamq; impreſſionibus, patratis cædibus, ſtupris, rapinis neminem conveniri, niſi cæſarem, ejusve Militum Duces poſſe; minusq; conquerendi cauſæ ſupereſſe, quò magis ex adverſo ſe defendendi irrumpentem militem pro merito excipiendi, & mala morte mulctandi, licentia nusquam ſit prærepta. Non admittit

mittit

mittit (ſat ſcimus) Reverendiſſimarum ac Illuſtriſſimarum ac Magnifiarum D D. veſtrarum urgens pro Rep. veſtra occupatio : ut cauſam noſtram apud D D. veſtras pluribus agamus, nec ſibi cognitoris partes adſciſcit, earundem, in re alius fori, quæ eſt Modeſtia. Novit autem prudentia veſtra vetus illud Martii Antonii verbum, nec minus ſcitum: Etſi omnes moleſtæ ſemper ſeditiones ſint, juſtas tamen eſſe in Repub. non nullas ac propè neceſſarias : Et Principum iniquitatem ſæpè viros fideles alioqui & probos ad rebellionem ſalutis cauſa compellere, neq; ullum videri bellum juſtius, quàm quod ſit neceſſarium: Neq; neceſſarium, niſi quod pro bono publ. ſuſceptum. Conſtat ex veterum monumentis Tarquinium Priſcum apud Rom. quod pacta conventa, quibus ad imperium receptus, violaret, & ſenatum contemneret, Regno exutum; contra Ludovicum XI. Francorum Regem Regni Proceres plebis querimoniis & expoſtulationibus incitatos memorabile bellum propter bonum Publ. decreviſſe: Helvetios, Belgas intolerabile ſervitutis jugum boni Publici & ſalutis ſuæ causâ magno conatu, pari fortuna excuſſiſſe; Svecos Chriſtiernum primum Daniæ, Sueciæ Norvegiæq; Regem, ob non ſervatum, quod in pactis

ſuſceptionis

ſuſceptiônis ejus cautum eſſet, Regno, Annos ante Centum quinquaginta plus minus, abdicaſſe: idemq; fatum Avorum memoriâ Chriſtiernum Daniæ Regem II. ob id inter cætera manſiſſe, quod jus electionis, quod antea Senatus Regni proprium erat, poſt mortem ad ſuos hæredes tranſtulerit & eo ipſo antiquum & liberum Regnum hæreditariæ oppreſſioni ſubjecerit, neque ex Regibus Angliæ, Scotiæ, Hungariæ, atq; adeò etiam Bohemiæ talia Exempla deeſſe: quin & majores veſtros haud ſegniores libertatis avitæ Aſſertores, non uni Regum veſtratium renunciaſſe. Eadem alea, Deo ita diſponente & urgente boni publ. neceſſitate, etiam harum regionum ordinibus pro tempore ſubeunda, atq;, uti fortes ac bonos Cives decet, pro patria mortem oppetendi arripienda potius occaſio fuit, quam ut pro ſe patriam perire, cum ſempiternâ nominis infamiâ admitterẽt. Nefas enim in eo eſt delinquere, quod facilius eſt reprehendere, quam aliquando emendare. Itaq; renunciandum fuit Regi, qui Legibus, Privilegiis ac libertatibus Regni, quæ ex pacto ſanctè obſervaturum promiſit, prius renunciaverat; qui ſuper capite, fortunis, libertate Regnicolarum ſervituti Hiſpanorum devovendis jam pepigerat; qui

nullâ

nullâ re â quoquam læſus non niſi ferro flammaq; regnum ingreſſurus, & fundamenta futuri abſoluti dominatus cruentis omnino auſpiciis ſangvine Civium jacturus erat; qui non purè & abſolutè ſed ſub certo conditionis eventu receptus obligationem prior ſolverat. Et renunciatum fuit eo tempore, quo jam eò res deducta erat, ut prius jurium ac libertatum reali commonſtratione redintegrandarum, quam regni ineundi cura atq; neceſſitas ei adferretur; Quæ ab ipſo usq; adeo neglecta, ut pro re verba daturus videretur, perinde atq; inanis verborum ſonus & Privilegiorum chartis illitorum color, non verò rerum pondera atq; momenta in ſtipulationem eſſent deducta. Renunciatum deniq; quod ob defectum voluntatis, & intentionis contrahentium, atq; invicem juramentis ſe obſtringentium diverſitatem nulla mutui conſenſus ſpecies, nullus obligationis nexus, nullius deniq; perfecti atq; abſoluti actus veſtigia amplius apparerent, idq; ideo, quòd & ſuffragia prece, precio & minis expreſſa, nusquam vero, ut oportuit, liberâ animi deſtinatione comparata eſſent, & ipſe conditionem ex ſua parte non niſi quatenus in abſoluto dominatu & regno hæreditario locum invenire poſſet, acciperet: Subditi verò non alii, quàm li-

berê

berê electo, & ad leges regni fundamentales re-
ſtricto Regi fidem, non diutius, quam ipſe leges
illas & regni immunitates ſanctè cuſtodiret, dura-
turam, darent. Regnum autem Bohemiæ nullo
unquam jure Auſtriacæ ſucceſſioni hæreditariæ
ceſſiſſe, neque antiquâ eligendorum principum fa-
cultate ullo pacto ſe abdicaſſe ordines regni toti
jam Orbi Chriſtiano publicis ſcriptis planum in-
dubiumq́; reddiderunt. Unde manifeſtum eva-
dit, nihil hîc â nobis admiſſum, quod non ab aliis
Orbis Chriſtiani populis pro bono publico jam du-
dum receptum, conſenſu omnium Politicorum
approbatum, ipſis Auſtriacorum adeoq́; & moder-
ni Cæſaris auſpiciis contra Rudolphum II. eun-
demq́; non eventualem Regem & ſub conditione
amplius exiſtentem, ſed qui jam per ſeptem luſtra
ad gubernacula fœliciter ſederat, attentatum,
quod deniq́; â veſtra quoq́; gente juranti Regi, ex-
tremæ quaſi cautionis vice, ingeri & liberè denun-
ciari ſolet, & fortè in pari cauſa haud quaquam
prætermiſſum fuiſſet; ut non ſit cur ullo noſtro me-
rito rebellionis crimine inſimulemur, quin potius
in atrocem iſthæc inſimulatio injuriam evadat.
Catholica porrò religio nunquam nobis impugna-
ta neq́; confœderationis noſtræ articuli, ulli qui

 nos,

nos, noſtramq́; religionem Evangelicam non radicitûs everſam cupiat, impii eſſe & iniqui poſſunt, neq́; quicquam ſtatuunt, quod non Evangelicis ſub Catholico Rege durius multò atq; gravius ſubeundum fuit. Si quid admiſſum eſt, quod nimium videatur, id exordio turbarum, reſpectu ad Perſonas habito, qui patriam, & quâ hactenus innixa eſt, religionis libertatem perditum iverant, tumultuariè factum, Exemplo, poſtquam res turbulentæ ad ſtatum revocatæ, non amplius metuendo. Eccleſiæ Vratislavienſi, quæ ab aliquot retro ſeculis, non niſi Regem Bohemiæ Patronum habet nulla vis illata, fundatione etiamnum, ac deinceps inconcuſſa manente: Si quid intercedit cum Epiſcopo, per rationem ſtatus negotii, id ad Eccleſiam ejusq́; fundationem minimè ſpectat. Neq́; ad religionis Catholicæ injuriam pertinere poteſt, quod ſalvâ eâ ad alteram ab ultima oppreſſione vindicandam pro eorum qui majorem potioremq́; Reipub. partem conſtituunt ſalute, & publ. tranquillitatis cauſa ex neceſſitate ſtatuendum venit. Neq́; enim ea gubernandi ratio laudari, neq́; diu firma eſſe poteſt, quæ unam ſaltem Reip. partem curat, reliquam negligit. In quo quæ nobis ipſimet Majores veſtri veſtigia preſſerint Reverendiſſimæ Il-

luſtriſſimæ

luſtriſſimæ ac Magnificæ D D. veſtræ quæſumus haud gravatim reſpiciant. Quot enim extant de libertate religionis veſtrorum Comitiorum decreta? Quot pacta conventa? Nonne ab Henrico Rege cæteri, qui ſecuti ſunt, ſolemni juramento ad pacem & tranquillitatem inter diſſidentes de religione tuendum, ne ullo modo vel jurisdictione regiâ, vel officiorum Regiorum aut Statuum autoritate cauſa Religionis quenquam opprimendum obſtricti ſunt? Unde nunquam ſatis ad omnes Reges prædicando Exemplo, Regum Sapientiſſimus idemq; fortiſſimus Stephanus Regem ſe hominum, non animarum profeſſus eſt. Revocetur in memoriam Oratoris Vladislai, â Georgii Podiebracii morte Bohemiæ regnũ ambientis ſuper religione Huſſitarum in Bohemia vigente, procerum compellatio. Ac præ cæteris memorabile eſt, quòd, cum omnes ferè orbis Chriſtiani Principes ex Concilii Baſilienſis decreto, urgente Pontifice, in Bohæmos Huſſitas arma copiasq; ſuas expedirent, Vladislaus Jagello ſatis habuit in hæreſes (ſic ſtatuta veſtra loquuntur) in Regno Poloniæ animadvertere, & incolas regni in Bohemia agentes intra certum temp9 in Poloniam revocare; quodq; ſucceſſor Caſimirus, cum diu ſe bello Huſſitico

 implicare

implicare neglexisset, tandem verò instinctu Pontificis arma sumpsisset, protinus, ex quo aliquam saltem Regni Bohæmiæ pro Vladislao filio obtinendi spem concepisset, ejus facti non tantum pænitudine ductus est singulari, sed etiam exquisita apud Bohæmos purgatione sibi utendum, quin & de cætero, insuper planê habitâ Pontificis auctoritate, & qui tum multos invaserat religionis Zelo penitus neglecto ex corde suscipiendam putavit. Neq; prætereundum quòd ante alios Æneas Sylvius prodidit; Polonos ipsorum Faboritarum patrocinium contra Sigismundum & Albertum Austriacum suscepisse, inq; causa fuisse cur Albertus Regno diu potiri neqviverit. Quod autem salvis pactis, Cæsareanis militem in Poloniâ ad harum Regionum perniciem legendi facultatem concedere liceat, & quæ ab illis per rapinas, cædes, stupra, vastationes, inferuntur damna, & injuriæ, nequidquam pactorum violationi imputanda sint: Id ejusmodi certè est, ut neq; rectæ rationi, ne dum pactis conventis possit esse consentaneum. Quis enim â rectâ ratione tam alienus, qui non videat ex duobus pacto comprehensis, alteri officium, quod sit cum alterius injuria conjunctum salvis pactis præstari nec posse nec debere? Quis

non

non animadvertit fidem conventione utriq;datam hac ratione ex una parte consistere, ex altera claudicare,imò penitus violari? aut quis sibi patienti animo persvaderi patiatur, cum pactorum conventio pro utriusq; bono intercesserit, fieri posse, ut eadem intemerata maneat, si in unius salutem, alterius verò noxam præsentissimam convertatur. Aut potestnè debitor qui tantundem duobus promittit, præstando uni quod debet, nexu apud alterum liberari? Quanto vero rectius æquiusq; pari consensu Politici requirunt, ut qui socius ambarum partium communis est nisi utramq;conciliare possit, à suppetiis abstinere debeat; ne dum uni fidem præstet, alteram læsisse videatur. In quo non leve prudentiæ ad omnes documentum in Gallia datum est; quando cum Eduardus II. Angliæ Rex regno exutus esset & Francorum opes fædere pactas, per Legatos imploraret, responsum Legatis est:& cum Anglorum Rege,& cum regno contractum fœdus esse,ideoq; nec adversus novum Angliæ Regem Regnumvé salvis fœderibus bellum, geri posse. Nec minus eandem & vestro Regi & vobis superioribus annis, nobilitate adversus Regem insurgente, fidem præstitimus, neutri nimirum contra alteram parti addicti, neq; in aliena

Rep. quidquam curiosi. Quòd si etiam Cæsarianis tantum ex pacto concedendum fuit; eccur nobis, qui iisdem pactis continemur eadem copia denegata? Cur milites nostri in Prussia lecti, dissipati? cur eorum Capitaneus Gedanensium arresto adhuc detinetur? Cur pulvis tormentarus ex concessa pactis commerciorum libertate, nostro ære coemptus fisco Regio adjudicatus? Quodnam vero illud est inclinatæ fidei diverticulum; homines sanos & ratione præditos eò absurditatis perducere velle, ut credant eum saltim damni injuriævé Autorem esse, qui intulit; qui verò occasionem dedit, id est, cùm prohibere & potuerit & debuerit, permisit, eundem culpâ vacare? Certê si Compactatorum tenorem accuratiùs dispicere & causas investigare non molestum fuerit, non obscuro se prodet indicio, non in hoc saltem fidem datam, ut Reges ab omni hostilitate & damnis ipsi abstineant; sed ut suos quoq;, quicunq; in eorum potestate fuerint, ne quid tale, quovis etiam quæsito colore, committant, prohibeant, & ad damnorum integram refusionem compellant: Quin etiam hoc; non tam Regum qvam regnorum causâ inita esse, prout propter regna ipsos etiam Reges esse, non contra; aliàs tralaticiũ

est;

eſt; neq; ſatis habuiſſe majores noſtros: Reges reciprocâ Jurisjurandi fide ad compactatorum obſervantiam aſtringere, niſi & ipſorum utriusq; regni Ordinum pro firmiore ſtabilimento jurata accederet obligatio. Neq; dubium eſt, ſi perſonalia eſſent duntaxat pacta, & non potius realia, quin ea finen ſuum nullo modo ſint aſſecutura. Unde quid Perſonæ Regis debeatur niſi idem & regno fiat, & in ejus commodum cedat, aut quid etiam per rerum naturam Regi deberi poſſit, ſi ab eo regnum ſit alienatum, proclive eſt æſtimare: & de Cæſare quidem tanto major cauſa dubitandi ſubeſt, quanto minus nomen ipſius pactis expreſſum reperitur; & quo certius eſt, aliter eum illa attinere non poſſe, niſi regni causâ & niſi certus ſit in Regno ſucceſſor; quemadmodum & aliâs quæ in Compactatis mentio fit ſucceſſorum ad certos ſucceſſores referatur neceſſum eſt; nec ad eos pertinere poteſt, qui jus ſaltem ad ſucceſſionem prætendunt, aut quibus eo nomine controverſia movetur. Quid, quod pacta mutua ſint & reciproca, neq; niſi ab utraq; parte ſuſtineri poſſint; Unde cum Cæſar autoritate Regia neque ea acceptare, neq; in puncto commerciorum cæteriſq; eorundem Capitibus exhiſce regionibus vicem reddere valeat, adeoq; ul-

la re-

la reciprocatione Polonis obligatus esse possit; expeditum est, Polonos eidem ad nullum & ne quidem conscribendi militis officium, etsi id sine harum regionum incommodo præstari posset, teneri. Cum igitur hinc satis evidenter appareat: in his quæ ex compactatorum jure debentur atq; dependent non uno nomine potiorem esse Inclyti BOHEMIÆ. REGNI & incorporatarum Provinciarum causam, neq; solum Regem modo ad eorundem observantiam obstrictum esse, sed etsi Reges privati forte respectûs caussâ ab officio aliquatenus recedere contingat, ipsos inclytos Regni Poloniæ ordines pari, ac forte etiam majore obligationis nexu teneri, reliqvum est, ut Reverendissimæ Illustrissimæ Magf. DD. Vestræ, pro officii sui, quo in Repub. funguntur munere, cùm aliâs tùm hoc inprimis tempore, quo compactatorum fides atq; constantia non parum vacillare videtur per quam diligenter expendant, quid pro Repub. quid pro laudatissimo semper Polono nomine, quid pro avitâ virtutis & politicæ prudentiæ conservatione facto opus sit. In quo haud dubiè primitùs animadvertent, quæ nobis tot irruptionum & hostilium infestationum impetu graviter adfectis, tot cædibus, rapinis, stupris, damnis deniq; atq; inju-

riis

riis mactatis, ingeritur excusationis ratio, tam sophisticam esse, tam frivolam, ut ne scintillam quidem bonæ mentis & sinceræ vicinitatis exhibeat. Tantum enim abest, ut aliqua saltim ex parte tam enormiter læsis satisfacere vel aliquod emendationis solatium præstare possit, ut etiam omnibus nobis persuasum exploratumq; sit, ne quidem apertam ingenuamq; hostilitatem magis ad nostri perniciem conferre posse, quo magis omnia hactenus sub justi rectiq; specie & inconcussæ vicinitatis, sine omni denunciatione, contra omnia gentium & bellorum jura processerunt. Non sumus nescii neminem facile existere, qui honesti promissi fidem violare fas esse dicere ausit! Plures autem principum adsentatores ubiq; obvios esse, qui perjurii latebras omnes pro commodorum & affectuum ratione studiosè perquirere soleant; Sed nullâ aliâ in re capitaliorem injustitiæ pestem existere, quàm quæ specie recti involvitur, omnes & sapientes & bonos semper judicasse. Animadvertent etiam, ut ad rem propiùs a ccedamus, conscribendi Cæsariani in Polonia militis prætensionem deterso colore nullam aliam nisi apertæ hostilitatis speciem amplius repræsentaturam. Hic enim scriptionis illius scopus, hic effectus, hæc veritas: cætera fu-

cus. Ostendent se porrò commercia illa Regionum solatia, quanto molimine ex Repub: vestra & nostra exulatum abituriant; magno utriusq; incommodo cui pensando, & ad posteros excusando, utrum qui in culpâ, aut vel Cæsar ipse, pares fuerint, & nunquid conniventibus oculis ista contueri officii pub. ratio concedat, nō exigua ad DD. Vestras cogitandi cura redire videtur. Nec minus in eo, cum nihil in Repub. magni gerendum sit sine evidenti utilitate, cui bono futurum sit, si sive per concessam conscribendi militis pro Cæsare facultatem, sive alia ratione, hæ Provinciæ hostiliter invadantur, & inclytum Poloniæ Regnum, quod præ aliis altâ pace atq; quiete in hac tumultuosâ seculi flammâ feliciter uti frui posset, vicinis motibus implicetur. Vulgatum est, nec minus exploratum: Culpa est immiscere se rei ad se non pertinenti: Verè autem ad Polonorum Rempub. nihil pertinet, quicquid rerum quôve eventu cum iis geratur; qui avitam nostram libertatem cum tristissimo servitutis jugo commutatum eunt: nisi hoc fortè nomine, quod si vel armis, vel subsidiis Polonorum adjuti id apud nos effectum dederint: periculum sit, ne itentidem in Poloniâ vel ipsi adfectent vel aliis adfectantibus cùm occasio-

ſionem rei gerendæ præſtent, tùm penetrandi ſemitam commonſtrent. Neq; enim ullus Principum exiſtet, qui cum poſſit, non abſolutè malit, quàm per leges Regni imperitare. Neq; deſunt fortè ex Polonorum inſtitutis, quæ contra veterem libertatem, pro abſoluto dominatu, & hæreditariâ Regiæ ſucceſſionis propagine, pari applauſu, nec minore facilitate, quàm nunc contra Bohemorum immunitates agitantur, arripi & urgeri poſſent. Reſtat igitur, ut quæ in ſervitutis ordinem cogendos, arma iſthinc nunc in nos expediuntur, eadem nobis ſub jugum redactis, quaſi per jugulum reditura hinc juſtâ talionis lege iterum expectentur; quando qui nobis ſervis eſſet imperaturus Dominus, vel ex ipſa naturali obligatione ad mutuas, contra veſtras quoq; libertates, operas præſtandum foret devinctiſſimus; ut hic ſilentio involvamus, quanto vobis expendend. operæ videatur; num etiam per ſtatûs veſtri rationem factu commodum conſultumq; eſſe poſſit, ut per hæc, quæ apparare videmini, auxiliaria arma illi familiæ diu quæſitam illam ſucceſſionem, hæreditariam in his terris adquiratis: ſupra quam nulla in toto eſt orbe Chriſtiano, quæ una majore conatu, pluribus vicibus, ac ſpe quidem nunquam ab-

jectâ inclyto Poloniæ Regno ſemper inhiaverit, quæq; toties, ex ſingulari haud dubiè ſtatus veſtri conſideratione, repulſam ſit experta: aut numquid in eventum Hiſpanum in his terris Monarcham, vobis vicinum impunè conſtituturi ſitis, qui hactenus vicinorum neminem, ſine religionis reſpectu ſola dominandi libidine (quod vobis loqvuntur Luſitani, Galli, Angli, Veneti, reliqui Itali, Rhæti, Sabaudi, Juliacenſes, & qui non?) intentatum reliquit. In quo vobis fortè veſtigia non contemnenda SIGISMUNDUS AUGUSTUS reliquiſſe videtur, de quo jam dudum relatum eſt; adeò inviſam ei, propter viciniam, Cæſaris potentiam fuiſſe: ut eam ſolam ob cauſam de munienda Cracoviâ conſilia inierit. Eſt quidem inclytum Poloniæ Regnum finibus ampliſſimum, opibus, copiis & tàm togatâ virtute, quàm militari fortitudine florentiſſimum; ſed ei fortè nondum ſatis exploratum eſt: utrum eo etiam in felicitatis apice conſiſtat, ut tanquam extra humanæ ſortis ancipitium poſitum, privati reſpectus causâ, & propter meras, ut ſic loquamur, perſonalitates, antiqvum illud Bohemiæ Regnum, cum utraq; Auſtriâ, nec non Regno Hungariæ arctiſſimè confœderatum, nec minus cum potentiſſimis PP. & rebus Publi. brevi uniendum,

niendum,ceu ex alto despicere, & per omnia extremo quasi neglectui habere oporteat. Quod ipsum, si vel ita se haberet, ipsa tamen his terris tàm sanctè data fides, quam hactenus tàm securè secutissimus, aliud maximè postulare videretur. Cum enim nulla res vehementiûs Respub. contineat quàm fides, haud difficile judicatu est, illâ sublatâ, quid de vestro statu, ejusq; prorogatione deinceps expectandum. Nondum triginta annorum numeratur decursus, quando apud Rempub. vestram omnes ferè orbis Christiani Principes pro fædere & auxiliis ad Turcam debellandum in gratiam Romani Cæsaris intercesserũt; qui tamen hoc potissimum nomine, quod salvis id de pace firmiore jam initis cum Turcarum Imperatore pactis fieri non posset, repulsam tulerunt. Et nos, quos cum Polonorum gente, partim ipsa Natura æquissima omnium Mater, & originis, & lingvæ, multorum institutorum, & in his cumprimis in parili antiquæ libertatis adserendæ sive ardore, sive desiderio, quâdam quasi cognatione conjunxit: partim Majorum providentia mutuorum & ultra hominum memoriam sanctè custoditorum fæderum vinculo atq; necessitudine colligavit, quiq; Nos, nostraq; fidei vestræ tam securè hactenus credidi-

 mus,

mus, qui vestram nullâ in re Rempub. læsimus; nihil hostile lacessivimus, indigni hucusq; censemur, quos hæc omnia à nostrorum finium infestationibus tutos præstent, digniores, qui tam longis infra ipsos Ethnicos & Paganos parasangis collocemur. Quod ipsum, quàm sit futurum Genti Polonorum ad omnes etiam parum prudentes rerum æstimatores honorificum judicabit universus Orbis; neq; neglecturus est, qui illi æterno Numine præsidet omnium in vita actionum æquissimus arbiter & Judex, qui profectò quæ nos gerimus auditq; videtq; neq; ullâ alia in re plura & magis terribilia, quàm in convulsa conventionũ fide, suæ ultionis monimenta in orbe reliquit. Cui porrò eventum, eâ, quâ par est animi confidentia, seriò commendamus.

Habetis, prudentissimi Senatores, votorum, & postulationis nostræ sumãm. Non arma vestra auxiliaria pro subsidiis petimus: non gazis vestris inhiamus, non vindictam, etsi atrociter & nefariè lœsi tantopere spiramus: neq; postulamus, quæ factu difficilia, quæ ad concedendũ

altiori

altiori indagine aut maturiore delibera-
tione egeant: ſed fidem in vobis,ſed con-
ventorum conſtantiam, ſed officium vi-
cinorum requirimus: & quod Nobis
non concedatis demum, ſed jam ex pa-
cto, ex Jurisjurandi religione, debetis,
Veſtræ ſunt partes, nobis,ut,qui veſtram
Rempub. nullâ re offendim9 vicem red-
datis, fidem ſemel datam inconcuſſam
præſtetis, à tantæ deniq; labis aſpergine,
quæ ſi ſecus fiet, veſtram Rempub. indu-
biè manſura eſt, poſteritatem liberetis.
Veſtrum igitur, de cætero, imploramus
officium, hoc duplici nomine. Primum,
ut Reverendiſſimæ Illuſtriſſimæ ac Ma-
gnificæ DD. Veſtræ Regiam Poloniæ,
Sueciæq; Majeſtatem de negocio Bohe-
mico rectâ hac informatione inſtruant,
Inclytos nimirum ejus Regni Status, ni-
hil contra morem Majorum aliarumq;
in abdicandis pro adſerendâ avitâ liber-

tate.

tate, Regibus & triſtiſſimo ſervitutis jugo declinando, Nationum in orbe Chriſtiano, inſtituto admiſiſſe: Cæſarem non niſi ſub certâ conditione Regem Bohemiæ extitiſſe, regnoq; nullâtenus eorundem rebellione Statuum, ſed ideò excidiſſe, quod ipſe nullâ re læſus, magis alienæ injuriæ vindicandæ regniq; armis occupandi & opprimendi, quàm implendæ conditionis, aut regni Civium benevolentiâ ex Statuum manibus, juxta leges Regni, capiendi rationem haberet; inque eo, pro ſuâ prudentia, ſimul expendant; nihil eſſe libertate in vitâ precioſius: vilius triſtiusq; ſervitute: intollerabilius conſcientiæ freno, multaq; in Repub. ferenda, quæ neceſſitas ingerat; etſi non cuique ex æquo probentur: plura temporúm difficultati condonanda, omnia verò ad publicæ tranquillitatis conſervationem, & ſanctæ fidei obſervantiam

referen-

referenda, Indeq; cum ipsi Regiæ Majestati tum sibiipsis certo persuadeant, fidem, quæ nobis semel data est, sine sempiterna Poloni nominis infamia convelli non posse: Ex pactis inclytum Poloniæ regnum his regionibus ad omnia, quæ illa continent, obligatum manere; quàmdiu & ipsum à pactis non recedit: Cæsari verò de nullo teneri, utpote extra recgni Bohemiæ habenas Polonorum Coronæ nullo reciproco nexu obstricto: Neque ad pactorum violationem requiri, ut ea auctoritate pub. & communi totius regni conventu convellantur: Sed identidem patrari, sive ex permissu conscribēdi pro Cæsare militis, sive alio quocunq; modo, nostris finibus regionibusque damnum inferatur, cum vi pactorum etiam cavere, si fieri possit, & prohibere damna & injurias oporteat: Deniq; persuasum sit & hoc Vestræ Reipub. po-

tentiam, ad nos diu preſſos, tandem penitus opprimendos, & extremæ ſervituti mancipandos, alieni commodi & honoris cauſsâ convertere velle, nullà ad immortalem Deum prece expiandū, nulla ad orbis Chriſtiani Nationes, nulla ad poſteros ratione excuſandum fore. Denique â Reverendiſſimis Illuſtriſſimis & Magnific. DD. Veſtris contendimus, apud Regiam Majeſtatem operâ ſuâ atq; authoritate intercedant, ut ipſius Majeſtas, ſi quam de nobis noſtrisq; actionibus ſiniſtram ſuſpicionem conceperit, æquanimiter deponere, militemq; Polonum, ut à noſtrorum finium bonorumq; invaſionibus deinceps ſibi temperet, cohibere, & accommodata media inire dignetur, quibus de menſe Februario & ſuperiori Aprili, nobis illatis damnis atque injuriis ex bono & æquo ſatisfiat, & prudenter caveat, ne forte ſi ſecus fiat, No-

bilitas

bilitas contermina ſuis facultatibus exu-
ta, ad deſperata conſilia ſe convertat, ma-
gnam, ut fit, multarum calamitatum ler-
nam ſecum tractura. De nobis autem a-
nimis firmiter infixum perpetuo tene-
ant, nos in religioſâ compactatorum ob-
ſervatione & ſynceræ vicinitatis, tum er-
ga Regiam Majeſtatem, tum etiam am-
pliſſimum Regni Senatum obſequiis, e-
am, quam ex pacto debemus, conſtanti-
am, nec minus actionum noſtrarum ra-
tionem omnibus bonis & rectè judican-
tibus ſemper prolaturos.

D. Uratisl. in conventu PP. & Statuum Sil.

29. Maji. A. 1620.

Ad actū visivū requiritur iusta
distantia. Quod enim remota ni
sunt discerni recte non possunt.
bile quoque supra centum passus
non videtur. Ostendunt nobis
in Japonia quod nimis remota est
neque hic prope ubi eam fides
olim plantata est verum in Scythia
Moscovia aliisque barbaris locis.

Varsaviam 1626. 26 Febr.

Audio dixisse R^mum Legatum haec verba: Habebunt
Jesuitae pro suo favore sententiam: Si haec ita sunt
regnum iudicium. Neque enim decet sedem summam
ad favores inclinari. Christus est Veritas, Via, Lux
Vicarius igitur Christi est Vicarius Veritatis Viae
atque lucis. Respectus ad personas quascunque aut fa
vores tenebras facit densissimas. Sciant autem toti mun
dum iudicaturum de iudicio aut Rotae aut summi
Pontificis. Si quid diversum fiat, lapides etiam clama
bunt. Unionem nobis ne sanctus quidem Paulus per
suaserit, qui summus artes omnes Jesuiticas tam probe
quam septuagenarius aliquis Jesuita, aut eo plus. Re
velabuntur aliquando. Interim nos Philosophorum il
lud considerabimus: Ens, Unum, Verum, Bonum convertuntur.
Magno intervallo distant Unum et Unitum. Unum est
Unum. Unitum multa continet. Lupus dum ovem
appetit, Unionem appetit. Vult enim carnem ovis
in suam hoc est lupi carnem converti. Mitto haec
Unum exemplar per occasionem tradet R^mo Legato.
Vale. Cracoviae 26 Febr. 1626.

SIN e CERE moniis

Si quid habes Iesu vita ne quam tibi partem
Qui socium fingit latro vafer rapiat.

Gdy na Grob
sa zdelt Bo
pa przeniyst
vrzuesony
Mo Vedz X slowa
napisał.
lego in decu
notu
facciam lasse
ulni